

ampullæ cavitatem jam ante repleverit, aut obturaculum H G loco suo movet & attollit (quod ne fiat arctissimâ ejus adstrictione jam præcautum supponitur) aut intra bullam vitream I, non nisi aëre plenam subintrare connititur. Tametsi igitur aër bullæ interior huic aquæ subreptioni, quantum potest resistat; ob suam compressibilitatem tamen aliquousque introrsum se cogi in angustius spatium cogitur, prout eisdem oculis ipsis in collum bullæ grandioris I aquam ad ejusdem caput fere ascendentem vidimus. Hoc autem modo fit, ut eadem hæc bulla, quæ antea cum solo suo aëre specie levior aquâ vel liquore fuerat ei que supernataverat, nunc cum eodem illo suo aëre, cujus interea nihil deperditur, & insuper facta sibi novâ aquæ accessione, specie gravior eodem liquore reddatur, atque ita fundum petat, ibidemque tam diu hæreat, quam diu liquor ampullæ pressus aërem internum bullæ in istis angustiis detinere valet. Quamprimum autem manuum pressura in K & L remittit, & aqua sursum expressa proprio suo pondere in vesicam relabitur, nec illa portio, quæ bullæ collum antè coacta intraverat, à vicinis aliis amplius eodem adigitur; in angustiis constitutus aër, elateris sui, nunc haut amplius sufflaminati, virtute se iterum expandit, & aquam, tanquam ingratum sibi hospitem, extrudit, eo que paulo levior iterum reddita ab aqua graviore ad superiora evehitur.

CONCLUSIO VI. Nec alia Phænomeni prorsus similis in altera machinulæ forma ratio est, cum novi hæc nihil habeat, nisi quòd loco manuum prementium, embolus syringæ aquas urgens, tametsi nec ipse sine manu premente, commodius adhibetur. Quòd autem in hoc posteriore casu bullæ vitreæ cum appensis sibi figillis non simul, sed una post alteram descenderint & ascenderint, in diversa ipsarum aërisque sui proportionem ad aquam positum erat, imò & in diversa collorum amplitudine & longitudine &c. ob quas circumstantias aqua copiosior aut paucior, celerius aut segnius, sub-
ingressa,

Causa 9.
Phæn.